Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

sermones quos conferis ad invicem ambulantes et
estis tristes? Et videns unus cui nomen cleophas: dixit
ei. Tu solus peregrinus es in israel et non cognovisti que
facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit. Que? Et
dixerunt de ihesu nazareno qui fuit vir propheta potens
in opere et sermone coram deo et omni populo: et quo-
modo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes vri
in damnacionem mortis et crucifixerunt eum. Nos
autem speravimus quia ipse redempturus esset israel:
Et nunc sup hec omnia tercia dies est hodie: ecce hec
facta sunt. Sed et mulieres quedam ex nris terruerunt nos: que ante lucem fuerunt ad monumentum
et non invento corpore eius venerunt dicentes se etiam
visionem angelorum vidisse qui dicunt eum vivere. Et
abierunt quidam ex nris ad monumentum: et ita inve-
nerunt sicut mulieres dixerunt. ipsum vero non invene-
runt. Et ipse dixit ad illos. O stulti et tardi corde ad
credendum: omnibus que locuti sunt prophete. Nonne
hec oportuit pati xpm: et ita intrare in gliam suam
Et incipiens a moyse et omnibus prophetis: interpretabat
illis scripturas in omnibus que de ipso erant. Et appro-
pinquaverunt castello quo ibant: et ipse se finxit lon-
gius ire. Et coegerunt illum dicentes. Mane nobiscum
quoniam ad vespasat et inclinata est iam dies. Et
intravit cum illis. Et factum est dum recumberet cum
illis accepit panem et benedixit ac fregit et porrigebat
illis. Et aperti sunt oculi eorum: et cognoverunt eum
Et ipse evanuit ex oculis eorum. Et dixerunt ad invi-
cem. Nonne cor nrm ardens erat in nobis dum loq-
ueretur in via et aperiret nobis scripturas? Et surgentes